X5 66

Nobilissime Amplissimeque Vir,

Non possum quam debeo tibi gratiam referre: ne tamen immemorem me
officii credas, hae literae, Grotianis paginis adiunctae, à te contendunt. Utinam
occasionem tibi obsequendi demonstrares, videres me et alacrem ad exsequenda
iussa habilemque. Maecenatis nostri casum, quis non lugeat? Significari mihi
iussit Eminentissimus Elector manu Rocochij[?], graves se huius consilii caussas
habere, mihi eorum explanandas, ut primum foret occasio: interea ne pertur-
barer, neque minorem, imo potius maiorem in posterum gratiam expectarem.
Doleo tamen immensum tam inopinabiliter rerum statu[?]: et vereor, ne odia
aulica, quae fere non solent expiari, prudentissimi moderatissimique Principis
animum, à redonanda captivo libertate prorsus detorqueant. Suspicor latere
tricas inextricabiles. quamquam ex ipso nihil audivi. qui praesenti mihi
hoc tantum dequerebatur: esse, qui Principis Electoris, et Illustrissimi Schon-
bornii Fratris, animum sibi alienent. neminem autem nominabat, grave
esse[?] ratus, nolle se quemquam hoc crimine aspergere. quin imo, cum aliquando
alius nominaret inimicum, occasioni non defuturum; respondit: nolo credere;
bonum virum iudico. Et mox rem in melius iturum sperabat: de prudentia
et moderatione Sui Principis optime quoque animatus. Quibus possit precibus
expugnari animus ~~Eminentissimi~~, inter obstrepentia tot inimicorum vota, non video. Si
quid Tibi in mentem venit, Vir Amplissime, in medium consulas rogo. Deus
Te servet! Scr. Argentorati 12 7br. 164[?]

Tuus

cum observantia obsequentissimus

Jo. Hen. Boecler.

67v

Nobilissimo Amplissimoque Viro Dno
HERMANNO CONRINGIO
Consiliario Sueciæ Regio,
Luneburgensi et Ostfri-
sio etc. Professori Illustris
Juliæ celeberrimo, Fautori
et Amico magno.

cum fasci-
culo libr.

Helmstadii.

493.